

THES. XII.

Forma essentialis Codicillorum est, Quæ ipsum Esse illis tribuit, (a) & ab Imp. Theodosio describitur in *L. fin. §. ult. C. b. bis* verbis: In omni autem ultimâ voluntate (b) excepto Testamento, quinque Testes (c) vel Rogati, vel qui fortuitò venerint, (d) in uno eodemque tempore (e) debent adhiberi, sive in scriptis, sive sine scriptis voluntas conficiatur: Testibus videlicet, quando in scriptis voluntas componitur, sub notationem (f) suam accommodantibus.

(a) *L. Julianus. 9. §. sed si quis rem. 3. inf. ff. ad Exhibend. Vasq. lib. 3. de S. P. §. 30. n. 6. inf. Aug. Barbos. Axiom. 100. n. 1. Reusn. tr. de Cod. cap. 10 n. 1. Et ad unguem servanda est, arg. l. non dubium est. 5. C. de Ll. Tiraqvell. tr. de iudicio in rebus exiguis. vers. hoc tamen intellige. Card. Tusch. tom. 3. lit. F. concl. 415. Aug. Barb. d. axiom. 100. n. 3* adeò ut si deficiat in minimo, actus corruat & nullus reddatur, *arg. l. cū hi. 8. §. si prator. 17 ff. de transact.* Undè nec Formæ quid addi, neque quid detrahi posse censemus, *l. Divus. 7. pr. ibi: nihil facile mutandum est ex solennibus. ff. de in integr. restit. L. 1. §. opus novum ff. de nov. oper. nunc.* Differtque ab accidentali: quòd illa ab ipsius legis autoritate, hæc ab hominis beneplacito inducatur, *Vasq. de S. P. §. 30. n. 7.* (b) Scilicet Codicilli non minùs ac Testamentum veniunt nomine ultimarum voluntatum, *hac l. fin. §. ult. & L. 1. §. 2. C. hic. pr. Inst. de Jur. Codicill.* nimirum, cū quis ampliùs quid non velle sibi persuadet, *l. 1. pr. C. de SS. Eccles. l. dix. sup: th 2. lit. b.*

(c) Eo autem ipso quod pro ultimâ voluntate habentur, regulariter opus habent Quinque Testibus, *hac l. fin. §. f. & L. ult. C. de donat. mortis caus.* Bocer. *th 30. lit. a.* Quod & Br. innuit *ad l. 2. n. 5. ff. de leg. 1.* ubi hoc theorema nostrum videtur ampliare dicendo: quòd Præcise Quinque requirantur Testes in Codicillis & non pauciores, adeò ut, **quamvis** aliquando, fortè ex statuto & consuetudine, hominum

minum